



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 2. An inuitatio Christi Pelagianis faueat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Horrenda
blasphemia.

Vbiquitas
blasphemia.

quæ essentialiter sunt idem cum omnipotentia? Vnum si realiter adest, omnia adesse necesse est. Andreas Osiander in disput. de maiestate Christi hominis ait, assumptionem carnis hypostaticam, necessario definiendam esse exagitatione humanitatis cum diuinitate, & eius potentia, gloria, maiestate. Impia igitur thesis est Wirtemb. vndecima. [Itaque propter vnionem personalem & proprietatem communicationem] credimus, Christum etiam secundum humanitatem suam esse omnipotentem, seu (quod idem est) humanam in Christo naturam esse omnipotentem. Scriptura enim Sacra, Christo etiam quatenus homini, omnem potestatem, (quæ nihil aliud est, quam omnipotentia) tribuit. Omnia inquit Pfaltes) subiecit sub pedibus eius, Psalm. 8. Et Paulus hunc Davidis locum explicans, inde probat: quod Christo omnia sunt subiecta præter eum, qui subiecit ei omnia 1. Corinth. 15. Ioannes Euangelista inquit: Sciebat Iesus, quod OMNIA dedisset ei pater in manus, Ioan. 13. Et Christus ipse (etiam ante passionem suam) dicit: omnia mihi tradita sunt à patre meo, Matth. 11. & post resurrectionem inquit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Matth. 28. Huc referenda sunt etiam miracula Christi, vnde dubitata eius omnipotentiae testimonia: Quod tactu mundauit leprosus, visum cæcis restituit, quod voce sua Lazarum in vitam reuocauit: quippe quæ miracula Christus non aliena virtute, (vt Propheta & Apostoli,) sed propria potestate edidit.]

Hanc potestatem nos de rebus creatis administrandis accipimus: Deinde etiam diuina opera Christo tribuantur: aliud est tamen quod operatur diuinitas, aliud quod patitur humanitas. Salua est enim vtriusque substantiæ proprietas, ita Tertullianus aduersus Praxeam: Cyrillus de Trin. l. 5. Nyssenus clare, & vere. Neque humana natura Lazarum viuificat, nec deslet iacentem impassibilis potentia: sed lacryma quidem hominis est propria, vita autem ea, quæ vera vita sunt. Eadem Damascen. l. 3. de orthodoxa fide cap. 15.

Damnandum igitur quod hinc Brentius concludit p. 249. recognit. suæ. si Christi humanitas in dextra maiestatis circumscriberetur loco, non esset præstantior angelis; Loci enim spatium dignitatis & imperii non est certum documentum.

VERSUS 20.

*Venite ad me omnes, qui laboratis,
& onerati estis, & ego reficiam
vos.*

QUESTIO I.

Verene & serio Deus vocet?

Gratia cui
eis offer-
tur.

§. 1. **V**ere, & serio. Hinc enim vocatio gentium & auxilium generale probatur. l. 2. cap. 5. de gratia & lib. arbitr. Bellarm. Ad omnes homines gratia pertinet. peruersæ igitur ad paucos restringunt Calviniani. Piscator. [Abutuntur hoc dicto qui inde volunt probare, Christi gratiam pertinere ad omnes omnino homines, nullo prorsus excepto. Etenim Christus gratiam suam hic promittit non omnibus simpliciter hominibus: sed tantum iis omnibus, qui fatigati sunt & onerati, id est, qui sentiunt onus peccati & eo cupiunt leuari. Atque his quoque eadem conditione gratiam suam promittit, si ad ipsum venerint, id est, in ipsum credi-

derint.] Idem etiam in coll. cum Vorfio Sect. 123. & 124.

Vocat omnes, omnes, non paucos, & serio saluos vult: Non tamen efficit, vt veniant, quod illi gratiam, sufficientem, benigne oblatam repudiant, virtutis suis indormientes, & tenebrarum amatores, Ioan. cap. 1. v. 19.

Noluit autem inuitis & contemptoribus vitam æternam conferre. Nullum ille præciso decreto à salutereiecit. 1. Timoth. 2. 2. Pet. 3. Horribilis est hic sententia Calvinianorum, quam passim obtrudunt. Recenset suorum errores Nicolaus Greuinchotius pag. 48. contra Amesium. [Deus igitur autore Marlorato, Piscatore, Gomaro, Triglandio, te Smoutio &c. exitio destinatur, & ad damnationem creat, quolibet, non propter vllam indignitatem, aut infidelitatem, aut alia peccata, sed ex mera voluntate & beneplacito suo: Eisdem porro vt ad damnationem, sic etiam ad causas damnationis ita ordinatur, vt non peccare non possint; & postquam peccauerint scilicet tam facile conuerti possint, quam cælum digito attingere; siue per naturam, siue per gratiam, nempe, quia Deus non vult ipsos conuerti, sed aduersus oblatam qualemcumque gratiæ vmbriam perstinaciter esse; & quamuis facerent omnia opera sanctorum, non possent tamen saluari: Et hos tamen electionis suæ certos esse iubet (tenetur enim quilibet credere se electum esse etiam reprobos: & quamuis verbum suum non destinatur in istorum correctionem, sed maiorem condemnationem, tamen à peccatis dehortatur serio, vocat, inuitat, obsecrat, ac nullis non blanditiis allicit ad conuersionem; quin & iuramento addicit, se nolle exitium ipsorum, sed vt conuertantur & viuunt; atque hoc idem obsignat Sacramento foris; interim.

Astutam vapido seruans sub pectore vulpem.

Eisdem vult offendere ac labi, quos recta iubet incedere; non vult autem secundum electionem, quam sibi referuat, illis qui non sunt electi baptismum prodesse, neque per orationes ab Ecclesia pro ipsis factas, benedictionem, quam Christus Ecclesie suæ meruit, impetrari.]

§. 2. Vocantur autem *περὸς ἡμᾶς* gradati, quocunque modo, & onerati, hoc enim indicant verba ipsa: *ονηρωμένοι*, lassī, fatigati, laborantes. *νεκρωμένοι* illa varie potest accipi: Vel enim afflictione rerum aduersarum, vel graui peccatorum onere, vel legis iugo premebantur. His opponit Christus suauē iugum, & onus leue. Vocat & eos, qui mala sua non sentiunt.

§. 3. Bellarminus de amissione gratiæ & statu peccati. c.

Quorsum enim vocat, si efficaciter operando aures obtundit, & obturat, ne audiant? Quomodo ad peccatum cogit, & impellit, si vocat ad se, vt iugum leue, & suauē tollant?

QUESTIO II.

An inuitatio Christi Pelagianis faneat?

§. 1. **A**rgumentatio Pelagianorum fuit, Inuitat omnes, venire igitur possunt, frustra alioqui inuitantur, si mouere pedem non possunt.

Non tamen inuitatio Christi blasphemiam contra gratiæ dona confirmat. Non enim dicit, venite ad me vestris viribus, libero arbitrio, sed venite. Ita Augustinus. l. 1. contra duas Epistol. Pelagian. cap. 3. & 4. Quam multi inimici Christi quotidie subito Dei occultæ gratia trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Euangelio

illo possissem, quanta de me propter hoc iste dixisset: cum enim nunc obliuiscitur non mihi, sed illi qui clamat. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: Non enim ait, duxerit; ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nunc venit nisi velit? Trahitur ergo miris modis, ut velit ab illo, qui nouit intus in ipsi hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.

§. 2. Quæ libro primo aduersus hæreses Irenæus de Bythi, & Anna, & Achamoth. ex his verbis ipse leges, sunt enim risuquam refutatione digniora. Idem Irenæus l. i. contra hæreses ostendit Valentinianus his verbis abusus, ut Deum quem dicebant patrem veritatis ostensum ad Theogonias enim suas sententiam applicabant. In eo quod appropinquauit ad Ierusalem, plorauit super eam, & dixit: Si cognouisses & tu, hodie qua sunt ad pacem, abscondita autem sunt à te, per eum sermonem, qui est absconditus Apocryphon Bythi manifestasse.

Valentiniani apud Irenæum hunc patrem Christi incognitum probabant, dicentem etiam, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis; discite à me, veritatis patrem, annuntiasse. Et l. 2. c. 19. Non Deum cognitum per matrem, vel semen, ut delirabant Gnostici.

Idem Irenæus verbi Deitatem confirmat. l. 4. c. 14. Rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater: Vtraque autem hac sese habere manifestauit Dominus, & propter hoc Filius reuelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris est, Filij manifestatio. Omnia enim per Verbum manifestantur. Ut ergo cognosceremus quoniam qui aduenit Filius, ipse est qui agnitionem Patris facit credentibus sibi, dicebat discipulis. Nemo cognoscit Patrem nisi Filius; neque Filius nisi Pater, & quibuscunque Filius reuelarit: dicens semetipsum & Patrem, sicut est, ut alterum non recipiamus Patrem, nisi eum qui à Filio reuelatur. Hic autem est fabricator celi & terra, quemadmodum est sermonibus eius ostenditur: & non is qui à Marcione, vel à Valentino, aut à Basilide, aut à Carpocrate, aut Simoni, aut reliquis falso cognomine Gnosticus adinuencus est falsus Pater. Nemo enim illorum Filius fuit Dei, sed Christus Iesus Dominus noster, aduersus quem & contrariam exercebat disciplinam incognitum Deum audentes annuntiare. & cap. 37. Similiter autem & Dominus. Omnia mihi (inquit) tradita sunt à Patre meo: manifeste ab eo qui omnia fecit. Non enim aliena, sed sua tradidit ei: in omnibus autem nihil subtractum est, & propter hoc idem est iudex uiuentium & mortuorum, habens clauem David: aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.

VERSUS 29. & 30.

Tollite iugum meum super uos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suauē est, & onus meum leue.

QVÆSTIO I.

Quod iugum Domini?

§. 1. Doctrina, & quæ eius sunt minæ, labores, castigationes, iugum dicitur, ita Thren. 3. 9. Ita Rabbini aliis onus prophetia qua aduersa prædicabatur.

Requies Christi non est in desidia, sed in tollendo iugo, ut exuissio vetere homine nouum induatis. Rom. 6. 3. ut in nouitate uitæ ambulemus, quamuis Adami Concen in Euang. Tom. I.

igitur dixerit, ἀναπαύσθαι quiescere faciam, de quiete tamen non ocioſa, sed pia & operum effectrice intelligit.

§. 2. Iugum suauē, Syrus ܡܕܢܐ amabile, id significat etiam ܚܝܢܐ, quia saluti tantum necessaria, & naturalia habet, præter pauca sacramenta; hæc ipsa grauiā, quia gratiam confert; quia lex amoris. Et si grauiā præcipiat, facit tamen gratiam dando omnia leuia. Non igitur lex est impossibilis, iugum enim importabile non est leue.

§. 3. Non igitur lex impossibilis; ut Beza putat, cuius verba sunt. [Illud autem de quo tam multis dissert Erasmus in hunc locum i. Ioan. 2. & 3. Mandata eius (inquit) grauiā non sunt: quia omne quod genitum est ex Deo; vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum; fides nostra. Quisquis vero existimat ideo leuē esse Christi iugum, quod Dei duntaxat amore & proximi requirat, ille profecto seipsum ignorat; neque etiam nouit, quod sit Lex & Euangelii discrimen.]

Verum hunc tum ali; tum verò Bellarm. l. 4. cap. 11. de iustificatione satis refutat. Discere iuber à se, ut simus mitēs & humiles corde, sic enim iugum nobis leuē erit, sic & suauē: Christo enim idcirco tale fuit, quia mitis & humilis corde fuit.

Μη τὸν διδάσκον, ὡς διδάσκει τὸ πρόπαι.
Μη τὴν ῥῶν ἰσχυρίαν, τὴν δὲ ἀποθέων χρεῖται.

Ἥσσον δὲ ὅσον τὸ λέγειν, πρὸς τὸν ἄλλον ὡς δὲ δέ.

Ne hunc doce verbis, sed doce moribus.

Ne hac attrahere, illā reuicere manu uidereris.

Minus egebit verbis, si quæ oportet, egeris.

Repugnat itaque illa interpretatio non modo scripturæ, sed toti antiquitati; quæ facilia præcepta esse docet; ex charitate & gratia; qua seruatur, non naturā, quæ per peccatum depauperata, nititur in vetitum semper, hoc ipso, quod lege constringitur, protērua, iugi impatiens, & perditur libertatis pueriliter auida. Itaque fide, charitate, & aliis Dei donis industria condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, qui victor etiam trahit exteriorem.

§. 4. Pareus in sultat diuinæ legi, & Christo, dū enim audit, nos concludentes, Legem Dei seruari posse; quia iugum leue, & suauē, non modo facile, sed etiam iucunde ferri potest, talis est lex Christi. Respondet ideo esse facile & leuē iugum, quia transgressio non imputatur; quod perinde est, ac si dicat. Ideo leue est, & suauē, quia non est opus portare.

Respondet Bellarm. Hæc solutio nec tollit, nec minuit vim argumenti. Nam imprimis, inquit, vel illa non imputatio tollit obligationem legis, ita ut præuicator non incurrat reatum; vel tollit reatum ex præuicatione contractum. Si tollit obligationem; facit, ut lex non sit lex, & iugum non sit iugum: proinde scripturā falso diceret, legem esse iugum suauē & mandata non esse grauiā. Si permittit reatum contrahi, sed contractum postea tollit; tunc non facit iugum esse suauē, neque onus leue: imo ostendit iugum esse durissimum, & onus grauiissimum, quippe quod portare non potest. Certe si boues sub iugo ad singulos passus caderent; etiam si aratoris industria continuo resurgeret; non essent; non tamen propterea diceretur iugum eorum suauē, suauē si & onus leue. Domini autem & Apostoli verba indicant, depriimit, & legem Dei esse iugum quod facile portatur.

Huic vicissim occurrit Pareus. [Solutio Augustini & nostra est verissima: In dilemmate vtraque sequela claudicat. Nam non imputatio peccati tollit obligationem legis, non absolute, quæ lex damnanis; quoniam lex fideles, quibus Deus non imputat peccata, non potest propter non impletam legem obligare ad damnationem. Manet igitur iugum.]